DE

DIABETE MELLITO NONNULLA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIII M. JULII A. MDCCCXXXIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Mauritius Schwerin

POSNANIENSIS.

Opponentibus:

H. LODE, med. et chir. Dr., med. pract.

L. MOLLHEIM, med. et chir. Dr., med. pract.

J. A. A. SCHOTTLAENDER, Cand. pharmac.

BEROLINI,

Typis Fratrum Schlesinger.

VIRO

AMICISSIMO, DILECTISSIMO ÉT HONORIFICENTISSIMO

EDUARDO FRIEDMANN

NEC NON

FRATRIBUS

CARISSIMIS ET DILECTISSIMIS

JACOBO

ET

MAX SCHWERIN

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

1.

Multas et diversas inter se opiniones de diabetae melliti natura atque sede, omnes omnium fere aetatum auctores memoriae prodiderunt, adeoque de curandi hujus morbi ratione alii aliter praeceperunt. Si igitur ego quoque, qui per brevissimum tantum temporis spatium in tam late patente et tanquam infinito rei medicae campo versatus sum, de morbo, cujus natura et causae adhuc tam ignotae tamque in obscuritate sitae sunt, aliquid tradere ausus sum; id eo consilio feci, ut quae in quatuor hominibus hoc morbo laborantibus observandi mihi fiebat potestas, componam cumque iis comparem, quae de diabete mellito scriptores, quos auctores adhibui, nobis tradiderunt. Si quid vero, quod me juvenem dedeceat, hoc meo libello plus minusve dubitaverim aut disputaverim; peto ut mihi ignoscatur, saepius enim praeclarum illud mihi in mentem venit a Sallustio dictum: quae cuique mens suppetit eloqui non dubitanda.

2.

Diabetes mellitus morbus est chronicus, qui versatur in adaucta, copiam alimentorum assumtorum longe superante secretione urinae, in qua multum substantiae nutrientis — saccharini principii — soluta invenitur. Qua morbi definitione symptomatis quidem constantissimi, debilitatis scilicet et tabescentiae corporis, non vero simul symptomatum pariter constantium, ut famis sitisque insatiabilis, causa exhibita est, id quod, ex ea, quam de morbi natura propondituri sumus, sententia planius patebit.

3.

Phaenomenis majoris momenti hac in definitione, ad quae quidem iterum me revocabo, enumeratis — si enim, ut naturae atque organo, tamquam morbi officina, plus minusve lux afferretur, contingeret — non minus magni esse momenti credo, ut ad illa symptomata, a quibus status morbosus orditur, quam ad ea, ut ita dicam, producta solum morbi atque analyseos chemicae educta respiciatur, et nobiscum reputemus, an consociatione symptomatum consideranda ad exitum perveniamus, quo forsan fieri potest, ut natura morbi non adeo in medio, relinquatur.

4.

Aliquamdiu ante morbum ipsum prodromi hujusce modi observantur, ut ex iis, etsi in speciem morbi imminentis proba-

bilem non reddunt conjecturam, aliquam tamen conjecturam de sede et natura morbi jam progressi facere possimus. Haecce sunt morbi exordia: appetentia perversa, plus minusve adaucta, dyspepsia, proclivitas ad acescentiam in viis primariis, lingua impura, albido colore obtecta, ructus acidus, pyrosis, vomituritiones, humoris acidi vomitus, post coenam dolor in ventriculo, qui interdum manus quoque compressione oritur; cephalaea, alvus obstructa ejusque dejectio cum nisu, interdum dolorifica, sicca et saepe sine odore normali, morositas, lassitudo artuum, exanthemata scrophulosa (Reil) et glandularum lymphaticarum labiique superioris intumescentia.

5.

Morbo praegresso alia phoenomena et graviora in conspectum veniunt: siti enim inexplebili aegroti cruciantur, tunc non bibunt, sed potant! — symptoma, quod eodem gradu nullo in alio morbo observandi occasio mihi erat, nisi in infante gastromalacia aegrotante, qui in convulsivum incidebat statum, quandocunque poculum, potu paulo ante accepto, inspexit. In quibusdam diabete mellito laborantibus desiderium potuum tantum est, ut, poculo vix remoto, jam iterum cupido intret bibendi, multosque deficiat animus, quum desiderio satisfacere non possunt. — Nostras, nomine Hiller, civis Grünebergensis, qui diabete mellito laborabat, cujus in decursu cataractam in duobus oculis perpessus — id quod Berndt quoque bis observavit (Klin. Mitth. Heft II) — aviditate potum sumendi ita flagrabat ut, quum eum uxor, a qua hanc in urbem ad medico-

rum opera et consilio utendum deductus, tam ingenter modu in bibendo excedere nollet, rata maritum hoc ex excessu morb tentari; clam se subductus aquam, quam in chorte pu aliquis antlia exhaurire jussus erat, maxima cum aviditate a sorpserit.

6.

Perinde ut sitis, fames est insatiabilis, neque haec unquan fere cessat nisi brevi ante mortem. Etsi vero illa ciborun cupiditas neque in femina neque in viro quodam, quos diabete mellito aegrotantes, duce viro Ill. Wagner, in nosocomio Caritatis hieme a. c. observandi mihi occasio oblata erat, adeo immodica evasit; attamen hoc phaenomenon in femina hoc morbo laborante in nosocomio Caritatis, duce Ill. Wolff, totam in partem, et fere plus quam credi potest in aegro meo Hiller observabam. Non nimium effero neque modum excedo contendens, hunc aegrotum per totum diem sine intervallo atque molestia edere potuisse, si desiderio obsequeretur, tanta erat appetentia tantaque digestionis integritas! Quod eo admirabilius, quum eum magna ex parte cibos non contritos devorare oportuerit, quoniam omnes dentes adversi excisi atque interiores hebetati et labefacti erant. An vero haec magna voracitas ex aliqua parte aciei oculorum amissae tribuenda sit, quoniam compertum habemus, tales homines sano digestionis statu plus cibi assumere quam tempore, quo eadem digestionis integritate luce nondum orbati erant, nec ne; id dijudicare me non posse sincere confiteor.

7.

Juxta saccharinum urinae principium de quo postea loquemur, adaucta ejus copia summum, etiamsi non constantissimum, symptoma est. Saepissime urinae pondus valde praecurrit nutrimentis et solidis et liquidis — phaenomenon, ad quod me iterum revocabo et de que hoc loco disserere volo, peritos quosdam medicos ei, colliquatione partium solidarum excepta (Home), resorptionem humorum ex aëre per pulmones intractorum causam subjecisse. Equidem in duobus tantum, nec vero in omnibus, a me observatis aegris copiam maxime adauctam inveni lotii, et quidem quantitatem multo majorem ejus, quod nocturno tempore, quam quod eodem in intervallo diurno tempore missum erat. Emissio urinae plerumque fit sine difficultate, sed tam saepe tamque urgente necessitate, ut aegrota una, dum de morbi statu, quod vix dimidiam duravit horam, ad lectulum, cui illa affixa erat, referebatur, bis emittere urinam coacta fuisset, et quidem tam urgente necessitate, ut capiendae matulae tempus vix relinqueretur. Aegrotus Hiller permultum quidem et persaepe mittebat urinam, attamen neque quantitatem urinae missae alimentorum pondus superasse, neque mingendi necessitatem brevi post potum praesto fuisse pro certo habendum est, quum et crebritas mictionis lotiique copia nonnisi ingentis voracitatis atque permanentis potuum desiderii sequela fuerit. Qua ex observatione duae igitur et variae quidem experientiae patent, partim eorum auctorum, quibus persaepe evenit, ut copia urinae a diabeticis missae tanta fuisset, ut quantitatem potuum

ciborumque assumtorum multo superaret (Tr. de Krzowitz. — P. Frank. — Morgagni. — Reil. — Home. — Alii); parti eorum quoque scriptorum (Rollo. — Berndt), qui in singul diabeticis pondus urinae redditae assumtorum potuum atqu ciborum ponderi omnino respondere invenerunt.

8.

Mutatam urinae naturam ejusque indolem a debita ration aversam hujusce morbi signum esse summum atque constan tissimum, sine quo hic morbus ne exsistit quidem — per s elucet; quoniam principium saccharinum hujusce solius, nequ alius unquam, morbi productum, atque per analysin chemicam i hac una aegrotatione, neque unquam in aliqua alia, urina eductum est. — Color urinae erat in quatuor a me observati aegris subflavus, cerevisiae albae similis, in viridem interdum vergens; in una aegrota, et quidem sub finem demum vitae color urinae sero lactis aemulus erat et per tempus seposita sedimentum magis puriforme quam mucosum formavit. Qualis odor et qualis sapor sit urinae diabeticorum, ex deminutione ureae — propriae illius urinae substantiae, quae juxta experimenta Rollii et Gueudevillii plane, Proutii autem non plane deest — ex summa acidi urici penuria et denique ex copioso saccharino principio sequitur — odor igitur saporque urinae dulcis, non urinosus; solitae autem urinae partes salinae in urina diabetica, immutata fere ratione et quantitate tantum diminuta, ab Henry et aliis repertae sunt. — Pondus urinae diabeticae specificum admodum variat pro alimentis assumtis, pro

morbi stadio et mingendi temporibus, unde varias urinae diabeticae ponderis specifici designationes exortas esse, probabile est; id vero certum esse videtur, pondus urinae diabeticae specificum semper singulis vel ternis centesimis partibus majus esse, quam urinae corporis bene valentis. Alia naturalis et diabeticae urinae ea est differentia, quod haec primum in vinosam, deinde in acidam fermentationem et nisi duabus vel tribus hebdomadibus praeterlapsis in putrescentiam non transit, illa vero jam postriduo putrescit. — Evaporatione facta residuum urinae cernitur extractum melleum, quod non minus celeriter quam lotium ipsum in fermentationem et in vinosam et in acidam abit, multo vero serius in putrescentiam. Equidem in meorum experimentorum uno quinque hebdomadibus praeterlapsis, residuum denique urinae diabeticae melligineum in putrescentiam mutari, inveni. — Et sicuti pondus specificum lotii revera varium esse potest, ut jam supra dixi, ita residui evaporatae urinae quantitas in diabeticis aliis alia est, atque etiam pro tempore, quo mittebatur, et pro stadio morbi et pro alimentorum ingestorum copia rationeque differt.

Itaque mirum esse non potest, quod Marabelli experimentis suis ex libra una lotii diabetici duas vel quatuordecim drachmas substantiae saccharinae, quod P. Frank ex quatuor et viginti urinae diabeticae libris sex et viginti uncias principii saccharini, quod denique Rollo et alii aliam copiam obtinuerunt; atque etiam sani corporis urinae conditio saepius pro tempore et alimentis varia et mutata cernitur. Illud vero communiter occurrit, et notatu haud indignum videtur, quo minus sacchari, eo plus albuminis inesse in urina diabetica. Reil etiam urinam

diabeticam, saccharo destitutam — et esse ait periodos, in quibus diabetes mellitus, residuum melleum evaporatione urinae factum nullum habeat — loco sacchari magnam materiae muciformis copiam saepe continere inveniebat.

9.

Esse vero diabeten, in quo lotium nulla sacchari vestigia sed albumen solum contineat et exhibeat, — quem statum auctores quidam, ut notum est, diabeten vocant insipidum — tanquam diversum a diabete mellito, medici vel sagacissimi in medio relinquunt. Equidem assentior opinioni, quae vult, albuminis praesentiam, tanquam prodromum et augurium oriundae et nascendae esse naturae vegetabilis in corpore animali — quasi symptoma metamorphoseos gradum ita descendentis ab altiore in inferiorem, ut materia omnino vegetabilis gignatur. Eam ob causam idem cum Schönleinio sentio, qui adauctam urinae copiam, quae in hypochondria atque in hysteria, in hydropis solutione, in morbis spasticis et rheumaticis mitti solet, diabeten nominat insipidum (nec ut alii diabeten spurium), et qui mellitum diabeten in duo dividit stadia, quorum in uno albumen fit, in altero saccharum educitur. In stadio, inquit, in quo albumen paratur, nova apparet materia — albumen et continuo quidem increscens; postea vero rursus aut omnino aut particulatim materia illa albuminosa evanescit, ita ut ejus loco in stadio secundo, scilicet sacchari nascentis — saccharum existat. — Formey gradu tantum diabeten insipidum a diabete mellito differre vult, idemque arbitratur, principium saccharinum ob

majorem aquae copiam, quae insit in diabete insipido, ita esse solutum, ut difficilius inveniri possit. — Nec minus, diabeten insipidum vere eundem esse atque diabeten mellitum alterumque in alterum transgredi, contendit Dobson. — „Urinam diabeticam, dicit Reil, sacchari loco gelatinosam materiam continere posse, concedo; hoc vero ad varietates foret adnumerandum; plantarum mellago oxygenio imbibendo, hydrogenio increscendo atque carboneo partem quandam excernendo permutatur in saccharum.“ — Krukenberg diabeten verum dividit in diabeten mellitum et diabeten insipidum, et hoc modo definit haec duo genera: „in diabete mellito, inquit ille, continuo major urinae copia mittitur, quam alimenta consumuntur; lotium ipsum continet et albumen et saccharum; in diabete insipido urina non saccharum sed albumen continet, cujus maxima copia emittitur; attamen altera alteri formae saepe in vicem succedit, neque igitur sunt morbi diversi.“ —

10.

Durantibus hisce phaenomenis alia quoque nobis obveniunt, quibus efficitur, ut morbi imago ad finem perducatur: Aegrotus magis magisque emacescit, vires in dies evanescunt, exercendi coitus desiderium deest, potentia procreandi cedit et mox omnino exstinguitur. — Aegrotus Hiller, cujus supra jam saepe mentionem feci, mihi dixit, sibi quidem coëundi desiderium deesse nec vero potentiam, seque adhuc appetitu uxoris exercere coitum, ad quem vero ab ea, morbum respiciente, haud saepe revocetur. Exstat haec observatio uti unica atque

rarissima exceptio inter multorum medicorum observationes; eo, quod ad impotentiam coëundi in diabete mellito attinet — attamen omnes ad partes Neumannii observationibus: jam a initio morbi impotentiam, instinctus sexualis abolitionem atque difficultatem coitus exercendi cum testiculorum atrophia conjunctam in conspectum venire, fides accedere debeat. — Cutis magis magisque fit arida, sicca, haud tractabilis, insensibilis, rugosa et praecipue in abdomine ad desquamationes farinosas vergens. In duobus aegrotis, quos observabam, cutem nocturno tempore, et quidem sub finem vitae, sudoriferam inveni; nec vero ullum exortum est aegrotis levamen. Gingiva rubescit, tumescit, fit fungosa et aphtosa facileque sub tactu sanguinem fundit. Dentes vacillant, hebescunt, excidunt praecipue incisivi caninique. Lingua fissa, muco albido obtecta, marginibus rubris circumdata. Halitus odorem praebet fastidiosum, acidulum atque paululo dulcem. Vox exilis et rauca. Praeterea dolores in pectore, in regione ventriculi renumque; aegrotus in lectulo jacere cogitur, et quum incedere vult, genua tremiscunt et mox fatigatur. Interdum aegroti calorem atque ardorem ad epigastrium conqueruntur et sensum quendam frigoris inde a lumbis ad vesicam usque urinariam descendentis, corpusque aliquod in illa regione epigastrica prolabi creditur. In urethram aditus inflammatione atque excoriationibus correptus; praeputium penis, quum aliquantulum est angustius, quam esse solet, ita intumescit, ut glans denudari non possit; inter glandem et praeputium haud raro materia secernitur caseosa. Mors quum imminet, aegrotus magis magisque marcescit, languescit, sensus non jam praesto sunt nec interni nec externi;

accedunt febris hectica, oedema pedum, sopor, deliria, convulsiones, paralysis, diarrhoeae colliquativae, tandemque dies supremus et mors!

11.

Haud raro autem affectiones catarrhales, praesertim sub finem vitae, his conjunguntur, quae saepissime exitum capiunt in veram pulmonum phtisin inprimis tuberculosam. Hanc complicationem in uno aegrotante meo adfuisse, argumento erant explorationes per stethoscopum, turbatae pulmonum functiones et sputa. Sectio cadaveris hujusce vita defuncti non erat instituta, neque igitur sectionis argumentis phtisin illam comprobare possum. Ex alia obductione facta nihil de pulmonum morbo patuit et prorsus nihil de phtisi quadam; vero enimvero hoc in casu reperta est phtisis renalis plane conformata, quae quoque vita jam durante, et quidem brevi demum ante mortem ex puriformi urinae missae sedimento non ignota erat. Copland et Bardsley contendunt, nec ullum iis diabetae melliti casum obvenisse, qui non cum pulmonum morbo conjunctus fuisset. Reil contra dicit, se inter omnes diabete mellito aegrotantes, quos observaverit, in duobus tantum phtisin, et quidem pituitosam invenisse; in omnibus vero aegris hydropem aut jam ab initio morbi praesto fuisse aut brevi ante mortem accessisse.

12.

Quod attinet ad conditionem rationemque quantitativam inter fibrinam atque serum sanguinis diabetici, ne id quidem inter omnes satis convenit. Multi medicinae et chemiae cultores saccharum in sanguine gustu detexisse voluerunt, nulli autem quantum equidem compertum habeo, analysi chemica contigit ut saccharum invenerit. Richter, qui etiam saccharum in sanguine diabetico gustu percepit nec vero invenit, parva quidem quantitate illud in sanguine existere, sed continua renum actione ita secerni contendit, ut nunquam tanta copia quanta agentibus chemicis reperiretur, deponatur, aut ita u conjunctione cum albumine inita omnibus detegendi experimentis resistat. Coplandio auctore, in diabete mellito sanguis venae sectione missus vulgo in placentam minoris consistentiae subfuscam, quae minorem fibrinae quantitatem quam sanguis integer continet — Henry et Soubeiran auctoribus quadrante minus quam Berzelius in sanguine normali detexit — atque in serum colore albido separatur. Uni quoque ex meis aegrotis venaesectiones institutae erant et de sanguine misso haec tantum proponere possum: neque saccharum in sanguine gustu, neque crustam inflammatoriam (ut Home) oculis percepi; neque seri copia aut color naturalem modum excessit, neque denique venaesectionibus ulla aegrotae meae utilitas ne morbi quidem remissio, ut Krukenbergius — curam enim radicalem efficere ei quoque non evenit — venis secatis saepe vidisse vult, allata est.

13.

Depicta igitur morbi diabetae imagine, ad causas explicandas accedimus, sed de nullo morbo ejusque sede ac natura, ut jam supra in introductione memoravimus, tot tantaque esse proposita, neque tamen ullum alium morbum tanta obscuritate obtectum conspicimus, quocirca Reil recte monuit, nos hoc in morbo non amplius quam ad symptomaticam morbi definitionem esse progressos. Quae est enim causa immodicae illius potuum ciborumque cupiditas? quae enim causa mirabillimae saccharini principii formationis? Ubi sedes, ubi — ut ita dicam — laboratorium hujusce actionis? Unde nimis adaucta urinae quantitas? Unde acidi urici penuria magnaque ureae deminutio? Cur denique secretio haec abnormis enormisque fit renibus non cute, aut renibus cuteque conjunctis? Quaestiones, quae locum praebuerunt ad conjecturas componendas tam diversissimas! Graeci medici, qui adhuc mutationem urinae diabeticae qualitativam ignorarunt, ab relaxatione renum, debilitate atque irritabilitate adaucta eorum hujusce morbi originem deducunt induuntque igitur morbo astheniae indolem — sententia, quae inventis jam a Willisio in lucem prolatis, et etiam novissimis temporibus defenditur et quidem ea cum modificatione, ut alii immutationem renum morbosam conditionem ducant inflammatoriam, alii autem spasticam. Quibus autem sententiis quam parum omnia decursu diabetae melliti phaenomena apparentia, inprimis id, quomodo saccharum informetur, explicata sint, arbitrio peritorum medicorum judicioque permittam — etiamsi pro explorato, quam-

quam verisimillime mihi esse videtur, cum Heckerio, organicam renum immutationem eorum, qui morbo diabetae mellito mortui sunt, effectum solum diabetae, non causam ejus esse affirmare non audeo.

14.

Nec minus Neumannio sedes et natura diabetae renibus inesse placet, et quidem nec in inflammatione eorum, neque in statu spasmodico aut in relaxatione, debilitate atque adaucta irritabilitate, ut Graeci aliique medici — sed in tamquam translata genitalium ad renes actione per sympatheiam. Dicit, quod apud nullum alium scriptorem, quo ad hunc libellum sum usus, legi, se jam ab initio morbi in aegris diabeticis genitalia laxa atque atrophica et potentiam sexualem plane exstinctam et sublatam invenisse; sentitque igitur — secretionem et spermatis et urinae ab uno eodemque plexu renali pendere statuens — hunc plexum, quum aliqua de causa actionem suam non amplius exerceat in testiculos, nunc tantum in renes agere potestatem, qui porro non urinam, ut fieri solet, secernunt sed aliud fluidum, quod neque urina sit, neque sperma, sed quod saccharum contineat. Quatenus haec opinio fundata sit ac stabilis; quatenus quaestiones supra propositae responsum hac in opinione reperiant; quatenus Neumannii observationes ad feminas diabete mellito aegrotantes pertineant, respiciendo quod ad functiones sexuales sublatas atque exstinctas attinet; quid hac de re judicandum sit, diabeten tempestate pubertatis

adhuc non evolutae exsistere posse; quomodo id explicemus, quum Bennewitz (Osann's Jahrbericht 1828) mulieris cujusdam mentionem faciat, quae graviditate quavis diabete affecta postea vero integra fuerat; quid denique de mea supra tradita observatione, quod attinet ad perdurantem coëundi potentiam unius ex aegris a me observatis et quidem morbo jam satis progresso, statuendum sit — haec omnia mihi non respicienda essent, si in verba magistri Neumannii jurare vellem!

15.

Alias adhuc hujusce morbi theorias enumerare, non placet; sunt jam satis in dissertationibus depositae et in melioribus libris pathologicis refutatae — notum est, naturam morbi actione in retrograda vasorum absorbentium positam esse (Darvin); notum est, ut natura morbi explicaretur, cutem, maximi momenti in oeconomia animali organon, spectatam esse (Kausch, Wolff, Clarke); pervulgatum denique est, sedem ac naturam morbi ad sanguinis dyscrasiam, a statu morboso assimilationis pendentem (Willis, Sydenham), et ab aliis (Frank, de Stosch, Copland.) ad nervorum affectiones relatam esse. Plus vero omnibus his opinionibus opinio Rollii, quacum Haasii theoria ad unguinem congruit, oculos ad se convertit probaturque. „Diabetes mellitus, inquit, morbose aucta actio atque nimia ventriculi secretio est, conjuncta cum succi gastrici depravatione nimisque magna vasorum lactantium actione, qua aciditas, eaque rursum ex plantarum materiis materia saccharina gignitur,

quae, uti fit in chylo sani corporis, haud mutata, sed aliena quaedam substantia, assimilatione non integra, excernitur. Adaucta autem urinae secretio nimiam sequitur ventriculi actionem. cujus etiam renes participes fiunt.“

16.

Mihi quoque Rollii theoria inter omnes alias, quae de diabete prolatae sunt, evidentissima esse videtur, qua fere omnia phaenomena, etiam nonnulla prodromorum stadii, explicari atque declarari possunt. Pervulgata enim res est et a pathologiae cultoribus designata: actione vitali organorum chylopoëticorum, conditione succorum ab illa pendente, nutrimentis naturaque eorum gubernari concoctionis statum; exortae sunt his in rebus discrepantiae, discrepantiae exoriundae sunt in processu digestionis ipso, quae rursum totam vegetationem constituunt enormiter. Itaque nimis adaucta actionis vitalis systematis chylopoëtici concitatio; adaucta succi gastrici secretio chylique accelerata resorptio causae sunt proximae potuum ciborumque summae cupiditatis. Quum enim vegetatio totius corporis se adaequare non potest digestioni illi adauctae ac chylificationi praevalenti, tum accumulati succi, quibus alimur, ad altiores indolis animalis gradus non extolluntur, et nunc in altero abundantia exoritur fluidi lacti similis, in altero copia olei pinguis et saccharum — in diabete mellito. Tali in statu chylus, praevalente chylificatione, materia eget plastica, ad plantarum propius accedit naturam atque praevalente oxydatione

praestat; quippe quae tum eo magis recedat, quo magis assimilatio progrediatur, et si etiam chylus ille praeternaturalis copiam plasticae substantiae contineat, remanet tamen in infimo conformationis gradu, quo albumen imperfectum formatur, quod fibrina forma postea evolvi non potest.

17.

An vero materiae saccharinae procreatio, chylo jam praeparato, finita sit, an illa in vasis glandulisque lymphaticis processu quodam fermentationis, qui ibidem fiat, mutetur augeaturque, necne; hoc, opinor, partim argumentis sectionis cadaveris, quum juxta mutationes renum organicas saepissime glandulae mesenterii permutatae inveniantur (Reil Home. Hecker. Hymli.), partim ex intumescentia glandularum lymphaticarum externarum a Reilio observata, suspici quidem nec vero contendi possit.

18.

Adesse autem perversam ventriculi actionem, jam symptoma illud declarat, quod fere semper in prodromorum stadio hujusce morbi reperitur — acidum scilicet liberum in viis primariis; quippe quum saepe in praeternaturali secretione ventriculi, succorumque accore ab illa pendente fons ipse acidi praevalentis investigandus sit, quod tum quoque apparet, si nutrimenta assumta sunt, ex quibus nullum acidum liberum fermen-

tatione exoriri solet. Et si enim inest naturae hujusce morbi simul causa verisimilis informationis acidi, probabile etiam est ipsum acidum una efficere, ut indoles animalis in anima substantia tam vitiose excolatur tamque imperfecta fiat assimilatio. —

19.

Quod autem attinet ad adauctam urinae secretionem ex parte tantum mihi sufficit Rollii opinio, quum contendat, illam ex nimia ventriculi actione, cujus etiam renes participes fiant, exoriri; nam quum haec sententia id magis argumentetur, cur secretio haec vitiata tantum fiat renibus, non cute, aut renibus cuteque communiter, et quomodo fiat, ut omnino exhalatio corporis sit oppressa. Restat igitur, ut secretio nimis adaucta definiatur. Reil hujusce phaenomeni causam esse humorum resorptionem ex aëre per pulmones intractorum dicit, cui autem opinioni haec opponenda esset quaestio, annon tantum, imo vero plus humoris durante exspiratione excernatur quantum inspiratione imbibatur. Ex Homii opinione causa est adauctae urinae secretionis solidarum partium colliquatio; sed tum copia urinae missae, quae superat, cum defectione corporis ponderis semper pari in ratione esse debuit, quod minime compertum habemus. Reliquum est, ut sententias alteras Reilii et Ruthefordii ineamus, qui adauctae urinae quantitatis causam in adaucta inhalatione per cutem ejusque exhalatione suppressa poni volunt.

20.

Quod ad curam hujusce morbi attinet, nihil novi habeo, quod afferam, neque alia nisi haec addam: omnes aegrotos meos diabeticos omnibus fere adhibitis curandi methodis — nam quot morbi theoriae tot medendi viae — e vita dececisse. —

VITA.

Mauritius Schwerin mense Octobris hujus saeculi XI, Kornikae oppido prope Posnaniam, natus sum patre Hirschelio, quem morte mihi ereptum lugeo, et matre Emma e gente Blum, quam adhuc vivam pio animo veneror. Fidei addictus sum Judaicae. Primis literarum elementis oppido eo, quo natus sum, imbutus, Hildesiam anno hujus saeculi XXV profectus sum, ubi per plures annos scholam frequentavi. Anno h. s. XXIX Berolinum me contuli, ubi Gymnasium Friderico-Guilelmum, quod Celeb. Spilleke adhuc dirigit, tres annos frequentavi. A Directore Köpke, qui tunc Gymnasio ad coenobium praeerat, nunc jam in coetu beatorum animo-

rum versatur, maturitatis testimonio ornatus, anno h. s. XXXV ab Ill. Steffens t. t. Rectore magnifico universitatis Fridericae Guilelmae numero civium academicorum adscriptus sum, et apud Ill. Busch t. t. decanum facultatis medicae nomen professus sum. In hacce alma musarum sede per quatuor annos lectionibus et exercitationibus clinicis medicis et chirurgicis horum virorum illustrissimorum et celeberrimorum interfui:

Ill. Kunth de botanice, Ill. Mitscherlich de chemia et zoochemia, Ill. Schlemm de osteologia et de syndesmologia, Ill. Mueller de anatomia corporis sani, de anatomia comparata atque de physiologia. Idem et Ill. Schlemm duces mihi fuerunt in arte cadaverum rite dissecandorum, Ill. Erdmann de psychologia, Cel. Wiegmann de zoologia, Ill. Magnus de physice, Ill. Hufeland de pathologia generali, Cel. Mitscherlich de materia medica, Ill. Kluge et Busch de arte obstetricia.

Exercitationibus clinicis interfui medicis Ill. Wagner, Cel. Wolff, Cel. Barez; Chirurgicis Ill. Rust, Cel. Dieffenbach; ophthalmiatricis Ill. Juengken.

Quibus viris omnibus, maxime de me meritis, qua possum summas ex intimo animo gratias ago, easque habebo usque ad vitae finem.

Tentaminibus et philosophico et medico atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis spero fore ut, dissertatione thesibusque rite defensis summis in medicina et chirurgia honoribus ornatus evadam.

THESES.

1. Ex materia animali saccharum in corpore animali non formatur.
2. In hernia incarcerata repositio rejicienda est.
3. Studium physiologiae et philosopho necessarium.
4. Angina membranacea haud mera est inflammatio.